



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De sacerdotibus & reliquis ecclesiasticis ordinibus, qui magos, ariolos, aut
dinos consulunt. xlviii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

nus exercituum Deus Israël: Ecce ego cibabo populo istum
 absinthio, & potum dabo eis aquam fellis, & dispergam eos
 in gentibus quas non nouerunt, ipsi & patres eorum, & mi-
 tam post eos gladium donec consumantur. Qualiter ergo
 displiceat Deo omnipotenti pastorū negligentia, & subor-
 torum error, non solum prophetica testimonia ostendunt,
 sed etiam facta antiquorum declarant, cum in libro Regum
 legitur, quomodo malignus spiritus deceperit Achab regem
 Israël per falsos prophetas, ita ut credens eis interiret, &
 quomodo Ochozias filius eius egrotans miserit, nuncios ad
 consulendum Beelzebub Deum Accaron, verum viuere
 atque conualescere posset de infirmitate sua. Ob quod He-
 lias propheta à Deo missus, increpat eum, ita dicens: Qui
 misisti nuncios ad consulendum Beelzebub Deum Acca-
 ron, quasi non esset Deus in Israël à quo possit interroga-
 re sermonem, ideo de lectulo super quem ascendisti non
 descendes, sed morte morieris. Mortuus est autem ipse
 iuxta sermonem domini quem locutus est Helias, & salu-
 tem quam quærebat non inuenit. Quapropter curam
 summopere est omnibus modis, hoc est, praelatis & subor-
 tis, maioribus & minoribus, sacerdotibus & plebi, ne aliter
 quem seducat per huiuscemodi illusionem fraus, dolus, &
 nequicia hostis antiqui, ita ut à mendacibus velimus discere
 re veritatem, & à pestiferis morbis mortisque autoribus
 quæramus infirmitatis nostræ remedium: sed magis ad
 Deum viuum & viuificantem omnium confugiendo de-
 uoto corde properemus, per orationes sacras, ieiunia &
 elemosynas illum deprecantes, ut ipse propter benigni-
 tatem suam consulat seruis suis, eripiens nos de omnibus
 inimicis nostris, doceatque nos facere voluntatem suam,
 quia ipse est dominus Deus noster, spiritumque suum bonum
 nobis tribuat, qui nos ducat in viam rectam, viuificetque nos in
 acquitate sua, quatenus eius magisterio omni tempore vitam
 nostram gratum seruitium ei exhibentes, post hanc vitam per eius
 gratiam mereamur beatitudinem possidere sempiternam.

*De sacerdotibus & reliquis ecclesiasticis ordinibus
 qui magos, ariolos, aut diuinos consulunt.*

Caput XLVIII.

*Ex cõcil.
 Toletan.
 cap. 29.*

SI quis episcopus, aut presbyter, siue diaconus, vel quilibet
 subbet ex ordine clericorum, magos, aut aruspices, aut aru-

los, vel sortilegos, aut eos qui profitentur artē aliquam, aut aliquos eorū similia exercentes cōsulens fuerit deprehensus, ab honore dignitatis suæ depositus, monasteriū ingressus, ibique perpetuæ pœnitentiæ deditus, scelus admissum sacrilegij, luat.

De illis qui ad fascino incantationes fecerint.

Caput XLIX.

SI quis præcantauerit ad fascino, vel qualescunq; præcantationes excepto Symbolū & orationem dominicā, qui cantat, & qui cantatur, tres Quadragesimas in pane & aqua pœniteat.

Ex cōcil. Cabillo. cap. 5.

Quod demoniacum petras vel herbas sine incantatione liceat portare. Cap. L.

DAemonium sustinenti licet petras vel herbas habere sine incantatione.

Ex dicit Hierony.

Ne maledici nisi se corrigant regnum Dei non possideant. Cap. LI.

Apostolus dicit: Neq; maledici regnū Dei possidebunt. Si quis hoc peccatū admiserit, tam grande pœniteat, quam grande perpetravit scelus, quod à regno Dei non separetur.

Apostolus dicit.

De illis qui murmurant. Cap. LII.

SI quis murmurans extiterit, videat ne pœnam murmurantium incurrat, de qua Apostolus dicit: Neque murmuraveritis sicut quidam eorum murmurauerunt, & perierunt ab exterminatore. Iuxta mensuram opusque peccati: quia in hoc sententia Apostoli pleniter declaratur, sacerdotis iudicio pœniteat.

Ex cōcil. Moguti cap. 8.

De eadem re. Cap. LIII.

Qui contentiosus aut murmurans extiterit, secundum arbitrium prioris ita pœniteat, qualiter culpæ qualitas extat.

Ex eodē.

De eadem re. Cap. LIIII.

Apostolus dicit: Omnia facite sine murmurationibus. Alienus sit à fratrum vnitate qui murmurat, & opus eius abiiciatur.

Apostolus dicit.

De contentiosis. Cap. LV.

SI quis videtur contentiosus esse, dicente Apostolo: nos stalem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei, si quis hoc facit notetur vsquequo corrigatur.

Ex decret. Hylarū pap. c. 15